

2297

A S C E T I C I.

2298

morte resuscitato, quod illi C. VIII. p. 225. recitant e *Jucundo*, totidem verbis *Legendam* nostram terminat. Constat illa *Praefatione*, cujus initium: *Illustriissimi uiri uitam Seruatii stemate inchyto nati meritis super ethera exaltati &c.* prout citatur etiam in *Hist. Lit. Franc.* T. VIII. p. 342. Divisa est in *Libros* II. praemisso cuius *Capitum* Indice. Prior constans *Capp.* XXX. *Servatii* vitam percenset, orditurque: *Floruit enim Caput Metropolis francorum tungris &c.* Alter *Capp.* XXXVIII. et ipse *Praeloquio* instructus est hujus tenoris: *Translato ad Superos Servatio opera postuma enarrari postulat ordo &c.* et maximam partem in *Miraculis* recensendis occupatur. C. I. incipit: *Post renouati denique dominica passione seculi lūstra ferme LXX. &c.* Ultima de *Milite* supra dicto sunt: *ad congregationes sanctorum tripudianter abibat.* *Catalogus Libb. Ducis Vallerii* P. III. p. 96. *Libellum* in 4. indicat hac clausu-

la: *Explicit sanctissimi seruacij tungrensis ecclesie presulis et consanguinei Christi legenda de nouo stilo claro ac eleganti compilata Colonieque Impressa per me Arnoldum the boyrnen finita Anno domini M^o. CCCC^o. LXXII^o die Mercurij quarta mensis Marcij.* Idem *Libellus* extare dicitur in *Bibl. Reip. Basileensis*. Suspicio eundem esse cum *Nostro*, dictione fortassis aliquantum immutata, ut postmodum in quibusdam SS. Aetis fecit *Surius*.

DCXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 185 XVI. Folior. 228. f. nitide scriptus hunc praefert titulum: *Ad Serenissimum et Christianae Religionis studiosissimum Principem et Dominum D. Rudolphum Rom. Hungariae, Bobemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Regem &c. De ueri in Ecclesia Dei Regis officio ac Potestate Paræneticon.* Fol. verso sequitur *Ad Eundem Carmen Asclepiadeum*:

*Rudolphe Imperii Romulidum Vnica
Speꝝ et Christicolūm praesidium et decus:
In te cum celebris luceat Indoles,
Totque Europa malis fracta miserrimis
Et polluta suo sanguine plurimo
A te quæ fuerint Principis optimi
Speret: cum lacrimis Vlnera et indicet,
Hac ad te uolui scribere pauca &c.*

Succedit ad *Eundem* *Praefatio*.
— *Ego quoque Christianissimi et Clementissimi illius Aui Tui, Ferdinandi Imperatoris beneficentia in*

Austriensi Academia (Viennae) et in Hungaria (Praepositura S. Thomae ad Strigonium) ornatus aliquod tibi ad afflictæ Pannoniæ, Bobe-

Z z z 2

2299

C O D I C E S

2300

*Bobemiae ac demum Romanorum sceptrum a Deo, qui Te elegit, assumpto, obseruantiae ac seruitutis meae symbolum et Tuis Coronis consentaneum munusculum — offerre constitui. — Accipe igitur — Librum adhortatorium magis, quam gratulatorium meum. — De hoc Tibi gratulor — quod sub sanctissima et religiosissima Genitrice Tua (Maria Hisp.) et sub Catholico Rege fidei orthodoxae defensore illo Hispaniarum Rege Philippo institutus &c. De Patre Maximiliano II. Imp. nec verbum. Ex ipsa demum Operis inscriptione innotescit Autor: Petrus Illicinus J. U. D. Prothonotarius Apostolicus et Canonicus Olomucensis, cujus Viri patria Senensis Itali fata et scripta oblivioni eripere conatus sum in *Wiens Buchdruckergeschicht* p. 481. quibus haec nostra Lucubratio typis nunquam, ut putem, commissa in cumulum accedit. Tempus scriptionis ex eo liquet, quod *Rudolphus I. Nov. 1575.* Rex Romanorum coronatus fuerit, et jam mense *Octobr.* anni sequentis Patri in imperio successerit. Opus ipsum, quod quadam ratione magni *Bossueti* Tractatum *Politique tirée de la s. Ecriture* refert, circa officia Principis in negotio Religionis plurimum occupatur, magnumque Autoris cum sacrarum literarum, tum omnis antiquitatis ecclesiasticae et Legum usum commendat; Romanae tamen Sedi plus aequo in Principes tri-*

buit, atque hinc *Marsilium Patavinum* et *Guil. Occamum* recentioribus diffensionum autoribus, in quos acriter passim insurgit, adnumerat. Initium est: *Quod foelix faustumque sit, recte sanctaeque fidei Alumne ac Defensor, Christianique orbis spes reliqua Rhodolphe Rex inclyte! ad eam uocatus et assumptus es a Christo Regum Rege, Dominoque dominantium coronam &c. Atque hinc ad finem absque ulla divisione decurrit.*

DCXII.

Codex membraneus lat. Sec. 354
X. Folior. nunc 73. f. praeclare scriptus, rubricis ornatus et servatus complectitur: I. *Althelmi* feu *Althelmi Kenredi* filii, *Inae Westsaxonum* Regis nepotis, qui ex Abbate *Meildunensi*, *Maldulphesburienfi* s. *Malmesburienfi* creatus est *Shireburnensis* (ab Anglosax. *Scir*, *Schier*, lucidus et *Born* fons) s. *Clari Fontis* Episcopus, et obiit a. 709. Librum metricum *de Virginitate*, cui cohaeret ejusdem Liber metricus *de Octo Principalibus Vitiis*, distinctus a priore in *Cod. S. Galli*, e quo utrumque primus vulgavit *Henr. Canisius* T. V. *Leſt. antiq.* a p. 798. unde in *Bibliothecas PP.* transiere, legunturque in edit. *Lugd. T. XIII.* a p. 1. et in *Basnagiana Canisii* edit. T. I. a p. 709. Initium nobis ducit *Praefatio*, quae quamvis *Maximae Abbatissae*, ut in